



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 90. Præcipui errores Serveti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

„vit, hinc mortis reus cenfetur.,, Ac-
 cepto horum iudicio Genevenfes iudicii
 acta adverfus eum perficere feftinabant,
 & quamvis tam accufati fautores, quam
 occulti Calvini hoftes pro eo deprecarentur,
 pluresque alii ceteroquin neutri parti
 adhærentes, ut tota cauffa ad Senatum
 ex ducentis Viris compofitum devolveretur,
 nil intentatum relinquerent, fpe freti,
 quod in hoc Senatu mitius in reum animad-
 verteretur, quini- mo licet quidam ex plebe
 fæpius eum e carcere fuo liberare, eundemque
 in libertatem afferere niterentur, nihilominus
 Genevenfis Magiftratus eum die vigefima
 fexta Octobris ad rogi fupplivium damnavit,
 atque altera etiam die vigefima feptima
 ejusdem Menfis hæc fententia in eum pronun-
 tiata executioni fuit data. Agebat Servetus
 eo tempore quadragesimum quartum ætatis
 fuæ annum, ac referente Calvino, mortis
 fententiam excipiens nunc attonitus, atque
 immotus videbatur, nunc fufpiria ex immo
 pectore trahebat, ac non raro fatuo fimilis
 in lamenta effundebatur, Hispanorum more
 vociferans; *mifericordia! mifericordia!*

Sæcul. XVI.
 A.C. 1553.
Sandius
Bibl. Anti-
trin. p. 6.
Calv. epist.
n. 161. ad
Faral. 26.
Octobr.

§. XC.

Præcipui errores Serveti.

Hift. Ecclef. Tom. XLI. Uu Cete

Sæcul. XVI
A. C. 1553.

Sandius

l. c. p. 9.

Vid. lib.

CXXXIII.

§. CXXV.

§. VI.

Ceterum Servetus quamplurimis infectus erat erroribus; postquam enim Lutheranorum, Sacramentariorum, & Anabaptistarum deliria hauserat, quosdam etiam edidit libros, in quibus Pauli Samosatani, Sabellii, Arii, Photini, aliorumque errores innovabat, ac præprimis affirmabat, quod illi, qui Dei essentiam in tribus Personis realiter distinctis, & in una Natura subsistentibus agnoscunt, Athei sint, nec alium velint Deum, nisi qui juxta eorum opinionem ex Divinitate conflatus est, seu qui per connotationem, vel per accidens Deus existit, nec unus Deus Magnus, supremus, atque absolutus est. Ceterum admittebat quidem Servetus, quod in Trinitate agnoscatur Personarum distinctio, ea tamen nonnisi exterior, Verbumque a principio nil aliud foret, quam ratio idealis, quæ hominem futurum præfigurabat: His addebat, quod in hoc Verbo, seu ratione ideali contineatur Christus Dominus, ejus imago, persona, facies, ac virtus humana, in reliquis autem nullum reale detur discrimen inter Verbum, & Spiritum sanctum, nec unquam etiam in Deo extiterit vera, & realis generatio, ac spiratio, & Christus tantum ex eo sit Filius Dei, quod fuerit in sinu Virginis operante Spiritu sancto conceptus, atque

atque ab ipso Deo ex sua substantia genitus. Docebat insuper, quod *Dei Verbum de cælo descendens nunc sit caro Christi Domini, adeo, ut ejus caro sit caro de cælo, corpusque Christi sit corpus deitatis, caro vero ejus penitus divina, nec non caro Dei cælestis, de ipsa Dei substantia progenita.* Explodebat Servetus Personarum distinctionem, asserens, quod ea nil sit nisi *imago, ac species personalis, quæ imago esset Christi Persona in Deo, etiam Angelis communicata: Spiritum sanctum vero in Apostolorum animas descendisse* affirmabat, prout *Verbum descendit in Christi carnem.* Postquam igitur plures blasphemias contra animæ substantiam effuderat, tandem inferebat, quod *anima sit ex Deo, ejusque substantia, & inspiratio creata in illam fuerit justa una cum Deitate, & iterum nova spiratione in unam cum Deo lucem substantialiter coeat per Spiritum sanctum:* quapropter parvulorum Baptismum inutilem, ac nonnisi humanum esse inventum, nullumque peccatum committi posse ante vigesimum ætatis annum, & animam fieri mortalem per peccatum assererat. His erroribus adjecit adhuc plures alios, quos in Antitrinitariorum Bibliotheca reperire est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1553.